



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Nouitio vtî à Dei timore auspicandum, quanto studio horas persoluere, B.
Mariæ gaudia venerari, solitudinem silentiumq[ue] excolere debeat. Epist.
XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

D. VI
L. 6

recordaris: præsertim cum aliam ubi legeris, non habes memoriam, nisi ex Locis tuis communibus. Hoc modo pariter in meditatione orationeue utaris, ut si quando affectuosum suauitque quid in modo petendi vel humiliandi occurrerit tibi oranti, signes illud ad libellum aptum, quia cras fortasse simili modo cupientem uti, tenebit obliuio, & induocio impedit ut nisi scripseris, non recuperes. Porro de oratione, quia occasio datur, dicendam orationem mentalem longè meliorem sola oratione vocali. Vocalis enim patitur distractionem, ut vnum ore loquens, aliud mente cogitem. Mentalis verò non admittit, quamdiu ipsa durat, distractionem. Nam si aliud admittit, iam oratio non est. Neque enim diuersa potest quis mente versare: sed vno intus recepto, mens illo occupata, aliud recipere non potest. Quod si reciperet, quod ibi ante versabatur, euanesceret. Pro mentali oratione potes aliorum libellos, orationes, & meditationes legere, mente tamè non ore leges, donec assuescas ex aliorum orandi modis, simulque ex teipso discas, utpote videns tuam indigentiam, infirmitatem atque impossibilitatem, ad Deum preces supplicationesque dirigere. Crede mi fili, si lectionis castus, simplex, deuotusque cultor, & si conscientia tua obseruator sedulus fueris, tam multa reperies tibi necessaria atque quia aliud non potes à Deo petenda, ut non sit opus tibi librum alienum circumferre, ex quo aliorum orationes legas: quia cor tuum proficendi item desiderium, emendandique studium tot ac tanta administrabunt petenda, ut tempus vix sufficiat pro illis petendis, quibus indies cognoscis te indigere, atque nondum tibi adesse, sed à Deo solo, non tamen intermittendo, conatum, industriam, laborem ac proprium studium, nec in eisdem etià sperando impetranda ac expetenda esse. Pro hac mentali iuuanda oratione, scripsi exercitia varia, & diuini amoris pharetram. Iuuat autem maximè ex vita Christi ob oculos mentis ponere atque in mente versari, quo orantis desiderium & instituat & exerceatur. De hoc poteris legere, quod seculari cuidam diuiti, sed Deo deuoto nuper scripsi. Cæterum quicquid in laudem mentalis orationis dicitur aut dici potest, intelligi ita debet, ut orationes debitas, puta ab Ecclesia institutas, ut sunt orationes pro penitentia in scriptis, orationes horæve Canonice, & huiusmodi alia, ad quæ status noster aut Ecclesia obligat, non mentaliter, sed vocaliter persoluamus. Vale fili, & Iesum tuumque matrem præ omnibus ama.

Is qui se tradidit monastico instituto, ut à Dei timore incipiat: quantoque studio & deuotione preces quas vocant horarias, persoluerit: quomodo beatissima V. Mariae gaudia venerat: quanto denique zelo solitudinem silentiumque excolere debeat.

Epistola XII.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS.

Fratri Petro nouello Christi tyroni pacem, gratiam, virtutumque quotidianum incrementum exoptat.

Primum ac præcipuum tibi sit fili, quod summopere est obseruandum, ut semper Deum timeas offendere: semper metuas, ne aliquid agas omissaue quo Dei gratiam amittas, quo minus gratiam Dei recipias,

P 3

quo

Mentalis oratio ut præstet vocali.

Orationem mentalem quid efficiat vel adiuuet.

Vide XV. meditationes in appendice ad Pharetram diuini amoris quæ inscripta est D. Hardearadt. Orationes debite ut sint vocaliter persoluedæ.

Timor Dei ut sit fundamentum loco assumentis

quo præpedias, quo indignum te Deo efficias. Semper ergo sollicitus esto, ne offendas Deum, ad eò ut pro nulla re mundi velis scilicet offendere Deum. Hoc fundamento iactò, videlicet, timore Domini, alia facilius sequitur. Inter quæ hoc in omnibus constitutum esse debet, ut quicquid faciendum, quicquid orandum est, nihil negligenter, nihil inuitè, nihil perfunctoriè, sed strenuè, alacriter, feruenter, fideliter, & proficias omnia, atq; id illicò q̄ cū potes, ne vbi debueras Deum placare atq; mereri, inde ppter negligentiam, infidelitatem aut dilationem incidas in peccata perdisq; & laborem & operam.

Ut debita ante omnia sint persoluenda.

Contanda quinam sint omnia laudes.

In quibus aliena potius quam propria sit obsequendi voluntati. Gaudia B. Mariæ, vna que quò & quando recolenda sint.

Fac igitur quò pote, ut quicquid orare, aut legere, aut operari debet, vnumquodq; facias in tempore suo cum ex re monijs & cæteris conditionib; quomodo cunq; melius potes & deuotius. Ita fiet, ut opere, aut oratione consummata, conscientia gaudium, non merorem, nec amaritudinem consequaris, non delictum aut supplicium pro negligentia, seu transgressione. Excitatus confectum surgas, maximè cauet tunc morari in lectio: quia ex vna huiusmodi negligentia, cæcæ alia postea oriuntur. In choro non parces voci, sed alacriter donum, quo præditus es, ad Dei laudem conuertas. Discas non ex aliorum ore carere, sed aut sis certus memoriter canendo, aut accipias librum. Leuitates, signa, euagationes oculorum, inordinatos motus corporis, atq; oem, prorsus irregularitatem, quæ disciplinæ aduersatur, cohibeas violenter. In cætu cõformes te cætorum, cauens maximè, ne occasionem pbeas festinandi, aut diuinas laudes abbreviandi. In choro & vbiq; in conuento, in ijs quæ possunt sic vel sic fieri sine culpa, studeas magis alienam, q̄ propriam facere voluntatem, & habebis pacem magnam & fructum atq; meritum propter mortificationem propriæ voluntatis. Ante horam quam liber B. Mariæ offeras vnum Ave Maria, eidem præter hoc quod solito more premititur in commemorationem vnius gaudiorum temporalium, & post horam vnum Ave Maria in memoriam vnius gaudiorum æternorum. Ita commemorabis septem eius gaudia duplici cætra tædium ad septem horas. In fine subiunge collectam.

Oremus.

Ut tuam Domine misericordiam consequamur, fac nos per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ matris tuæ & omnium Sanctorum tuorum toto corde tibi semper esse deuotos, humiles, castos, mites atq; benignos. Amen. Cum sponso matre & prole pia benedicimus ô piissimæ Virgo Maria. Pro commemoratione gaudiorum eius lege si meliora nescis, rituumos, qui traduntur in subiectis.

Gaudere dulcis pater Christi, virgo Deum concepisti, Gabriele nuntio à peccatis abstinere, Deo fac nos inhxere, corde sincerrissimo.

Gaude quia Deo plena, peperisti sine pœna, cum pudoris lilio. Nostra quaeso tu sis mater, regat nos cœlestis pater, placeamus filio.

Gaude quia venientes, nato reges offerentes, cernis tria munera Fidem, spem, humilitatem, castitatem, charitatem, nobis dulcis impetra.

Gaude quia tui nati, quem videbas mortem pati, fulget resurrectio. Nobis da contritionis, fletumq; compunctionis, mundus sit fastidio.

Gaude videns tuum natum, ascendentem & stipatum, sanctis cum tripudio. Iesum fac nos imitari, cœlo mente conuersari, mites in exilio.

Gaude

Gaude suos quod descendit, replet, firmat & accendit, mundatq; Paraclitus.

Illo fac nos illustrari, regi, pasci, roborari, vngi, rapi caelitus.

Gaude quæ post Christum scandis, & est honor tibi grandis, in cœlesti curia.

Virgo, mater pietatis, cunctis munda nos peccatis, duc ad cœli gaudia.

Ad chorum & vbiq; ad conuentum non tardus venias. Tu præstolare ceteros, nemo te. In ministrando altari sis sollicitus, sacerdotem altareq; diligenter obseruans, ne moram faciendæ aut negligentiam, ne etiam strepitum insolitum admittendo, aut sibilos in orando, turbes sacerdotem. Redeundo ex choro, plana via reuertaris ad cellam, non fabulandi, non insinuandi, non aliquid noui percipiendi, non curiosè obseruandi admittens occasionem aliquam, non in itinere hic ibiq; subsistas: non retrospicias: sed aliquid in itinere ores, vnde occupata mente deuotus ad cellam venias. Semper & quoties intraueris cellam ad genua cadens, facito orationem, ad minus vnum Ave Maria dicendo. Deinde si qd ex debito psoluendum est, ante omnia perficias.

Caue dū horas persoluis, interim aliqd agere, reuoluere, querere, tractare, obseruare, aut attentè respicere, q; sit ab illo quod legere habes, alienum. Nam hæc omnino, scilicet querere, reuoluere, &c. iam dicta, requirunt attentione. Quicqd aut ab extra agis, aut sensus tuos quandocunq; spontè cōuertis ad externa, quæ interim legis sine attentione soluis. Verbi gratia: Si legendæ horam canonicam, interim oculis directis ad picturam discernis, expendis, & inuestigas, qd quomodo ve magister pinxerit, aut si per fenestram respicis, animaduertens ad auiculas, aut araneas aspicias quomodo muscas capiant, aut tibi ipsi vngues abscindis, aut aliquid simile agis quod attentionem ad se trahit, quicquid interim legis nihil soluis, & repetere teneris, quia fecisti ab extra rem, quæ non admittit secum attentionem ad alia. Neque enim ad diuersa potes attendere, vt simul in libro aliqd requiras, vel colloquentes auferul-

tes, & ad sensum verborū, quæ legis, interim attendas. Atq; idè Ecclesiæ præceptum transgredieris (quæ de exterioribus tantum iudicat) in exterioribus tempore orationis sic te habes velut is qui nolit attendere ad orationem. Admittis enim occupationem aliam, quæ mentis abstrahit attentionem ab oratione, & ad se trahit. Facis (inq;) rem externam, q non patitur secum at-
tentionem ad orationem. Idè si vis mortale peccatum euadere, omnia teneris à nouo legere, qcqd hoc mō sciētè & spontè soluis. Si verò intrus duntaxat distraheris, nulla data interim occasione foris, per quam impediaris, ne possis attendere, peccas quidem, sed tamen hoc modo negligentè soluta nō teneris repetere, sed de negligentia pœnitere. Et hæc iam dicta intelligenda sunt de orationibus Ecclesiæ statutis, vt sunt hora canonicæ, vigiliæ mortuorum, & huiusmodi debita, vt de ijs qui ad huiusmodi ex beneficio aut statuto suo obligantur. Simili modo per somnolentiam quicquid neglexeris, teneris repetere.

Caue subtrahere vocem in choro, vt fortasè ex amarulentia, aut sub specie zeli vindicando te nolis cantare, propterea q; reprehensus obiurgatusue sit, aut iuxta tuam voluntatem aliqd factum nō sit. Caue, caue, inq; huiusmodi vindictæ genus, quo Deo subtrahas tui debiti famulatum, subtrahasq; tibi eius gratiam, facias deniq; iniuriam benefactoribus defunctis quorum elemosinam comedens cum reliquis fratribus, non pro ijsdem æquè laboras.

Postre-

Alia vt sit
interuendū

Horarie
preces at
sunt soluendæ.

Repetere
quæ tenentur
preces
debitas se-
mel lectas.

Ecclesiæ
præceptum
quod violat
preces ho-
rarias solu-
do.

Vox vt non
sit subtra-
hēda in Dei
laudibus.

Postremo contra charitatem agis, non adiuuans conuentum, cuius es, sicut in vno corpore multa sunt, membrum. Cùm igitur in corpore conuentus alij sint senes, alij infirmi, alij non habentes voces, alij circa alia pro vtilitate conuentus sibi commissa occupati & absentes, quare in choro diuino officio & cantui suppetias ferre nullas possint, tu verò cùm possis subtrahis etiam auxilium tuum, & stas ibi stomachando aut dormitando mutus, aut legens sub silentio aut fortasse ita cantans tenuiter & non iuxta vires, vt nihil iuues conuentum. quid putas à Domino recipies? Quantum obiurgaberis? Quod tibi damnum, quam iram tibi thesaurizas? Caue igitur omnino hoc modo subtrahere vocem, caue hoc genus vindictæ, ne quod debes intermittas, aut infideliter negligenterq; illud agas: vt cùm propterea nihil solitum Deo subtraxeris, merearis à Domino illuminari, ad pacem restitui, & à tentationibus liberari. De silentio fortasse interrogas, quomodo illud obserues post professionem quandoquidem nonnullos vides leuiter illud negligere: qui quantum proficiant in vita spiritali etiam vides. Modo fili in nouiciatu & silentium & omnia discas alia per iugem assuetudinem, quomodo post professionem velis inueniri. De silentio igitur discendo, mitto te ad quendam fratrem, quem exempli causa, vt quomodo ipse sibi regulam, quam statuerat seruauit, tu quoque si placet, serues nunc describo. In decem annis hoc est, donec ad officium positus est, in quo cogebatur sæpè loqui nunquam fregit silentium ex certa scientia: aut sponte. Ter quaterue nec multo plus illi accidit, vt ex inaduertentia & subreptione loqueretur aliqua verba, quæ licet loqui nollet subito erumperent. Et bis vbi putabat tria verba se ex necessitate loqui tanquam licite, postquam ea dixerat, videbatur non fuisse necessarium, vt ea proferret. Alias nunquam (vt dixi) in decem annis fregit silentium. In his annis nunquam petiuit licentiã aliquem visitandi nisi semel, vt apud fratrem quendam disceret, oculisque videret per diem, quomodo certi quidam colores efficerentur. Licet autem neminem visitaret ipse, nulliusq; peteret adiutorium aut visitationem, sæpè tamen rogatus ab alijs, quando licentiã habuerunt, adiuuit eos in horto, in scribendis terra lignis, in lauandisq; vestibus &c. Libentius tamen alijs in sua lauit cella. Vnde rara fuit hebdomada, qua non ter sæpiusq; lauaret alijs: nec modicas vestes simul lauit. Ea quæ infra hebdomadam illi inciderunt interroganda, percunctanda, afferenda, petenda, portanda in cellam, accommodanda, aut loquenda, ad petram signauit pro memoria, continens se vsque ad proximum colloquium conuentuale: tunc reuisa petra, in qua scriperat differenda, omnia tunc expediuit. Ex quo non subito, propter singularitatem recessit: sed modicum ibi manens, donec ea, quæ in colloquium generale distulerat expediret: postea clanculum se subtraxit. Aliquando tamen deceptus, maximè in spaciamento diutius mansit, sed maximam semper tristitiam amaritudinemq; ac desolationem postea rediens, in se inuenit. Sub illo tempore toto chororum exiens ad cellam redijt absque mora, nisi portare secum debuisset aquam aut rem aliquam, vt libram accommodaret, aut accommodatum restitueret. Tunc enim si fratri al. cui habuit aliquam rem restituere iam dudum sibi accommodatam, exiturus ad vespas, eandem rem posuit iuxta cellæ ostium intra cellam, & ex vespas rediens ostio resecato,

Silentium
vt sit obser-
uandum.

Ipsè Lansper-
gius fuit.
Lanspergius
quam religi-
ose in cel-
la vixerit.

antequam ingrederetur, apprehendit rem ibi studiosè ante positam, reddiditq; confestim fratri sub silentio. Hoc modo non egebat licentijs quas peteret, quæ causa multarum fabulationum atque perditionis temporis sibi fuissent. Nunquam pro exeundo cellam licentiam quæsiuit, nisi quando lauit, afferenda aqua puteali. Quæ alij fratres confluebant ad cellam, vel circa personam præsentis post exitum chori, aut ad operarios, & ad structuram, pictorum artificumq; aliorum nouitatumq; opera videnda, nunquam accessit, cogitans se adhuc benè eadem visurum consummata, & tempore congruo. Iuit igitur semper plana via ad cellam nisi per præsentem aut per alium ex licentia impetrata alicubi vocatus. Vide fili, quoniam non omnia omnib; similiter conueniunt. Consule magistrum tuum, & quicquid tibi præscripserit, hilari corde amplectere. Nihil enim præsumas, nisi ex consilio tui magistri tibi præscriptum, aut per eundem ante benè discussum atque laudatum. Idcirco omnia quæ tibi etiam bona videntur, si rara, aut noua sunt, aut tibi inexperta, ad examen iudicium voluntatemq; tui magistri referas, ad eiusdem consilium vel tenendum, vel abiiciendum. Caue quæso tempus nobile tam inutiliter (ut quidam solent) amittere, per colloquutiones prorsus inutiles, ad quas sæpè etiam dant operam obtinendas. Nonnulli etiã non absq; periculo eiusmodi quærent & salutaria interea negligunt, debitaq; intereã defunctorum propterea prorogant, aut in alium differunt diem soluenda. Inter laborandum ad quoduis quartale horæ recurre ad iaculatoriam, hoc est, breuem aliquam orationem siue mentalem, siue vocalem suspirando ad Deum, gemendo pro defectibus tuis, aut orando pro virtute, pro diuino amore pro eius gratia &c. cuiusmodi oratione, suspiriaq; multa inuenies in Pharetra. Potes etenim rosarium tuum ita diuidendo per tempus legere, ut ex vita & passione Dñi articulum aliquem, labores alios interrumpendo, tractes. Verum iam dicta sufficiant. Tu mi fili benè Vale.

Armis quibusnam spiritui instabili tu in assumpto vite monastica instituto resistendum sit.

Epistola XIII.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS.
suo Bernardo charissimo filio, S.

IAm susceptus es fili charissime, gratias age Deo quod obtinuisti id, quod meliores te complures non obtinuerunt. Iam propositum tuum ita super Christum firma, ut nullas vnquam cogitationes vel motus etiam leuissimos velis admittere, illis auscultare aut cum eis disputare sed penitus execrari, quæ nituntur ad displicentiam tui status, aut ad commendationem alieni status te inducere. Hoc enim molitur figmento tibi diabolus imponere, suadens & laudans ea quæ foris sunt ut instabilem te faciat, ingratam diuinæ vocationi constituat, atque ad penitentiam assumptæ religionis inducat. Inde ad seculum te reducat, & grauioribus quam ante peccatis (utpote quem semel iam vicerit) innectat, fiantq; nouissima tua peiora prioribus. Itaque omni custodia serua cor tuum ne mundus recogitetur, ne peccata placeant iterum, ne falsa promissio melioris vitæ atq; vberioris frugis, sanctio-

Nihil absq; consilio attemptandum.

Temporis amissio quæ sit cauenda in colloquutionibus. Labores manutij ignitis preculis subinde interrumpendi.

Ut diabolus insidietur bonum agere.

Luc. 11. Prou. 4.